



OCCIDENS.

ORIENS.

FRANCIA

**LVTZEN
BVR-GII**
 Montuosissimi ac saltuosissi-
 mi ducatus Neustria seu
 Westerichia prouincia ty-
 pus elegans et Verus nec
 unquam antehac visus



MERIDIES.

LUTZENBURGENSIS DUCAT.

Obrinca flu. è radicibus Vosagi montis ortus, non procul à Rolandi fluuij fontibus, versus Austro Africum seu Magistralem ventum, ducit alueum per mediam Lotharingiam, Metim urbem alluit, hinc per hunc Lutzenburgensem Ducatum lateraliter lapsus, Theon-uilla, Sirich, Treuirosque lambit. Hinc Bern-castel, Tribachum & Coanum præterlapsus, iuxta Confluentes Rheno sociatur. Hunc conatus est olim Lucius Veterus Romanus Sonio fluuio iungere, fossa ducta decem milliariorum. Ut è Mediterraneo mari classis Romana, euitatis terrestris itineris impedimentis, naues primùm Rhodano flu. per Narbonensem Galliam, inde per Sonium ad hanc fossam, ex ea in Mosellam, deinceps in Rhenum, demum verò in Oceanum duceretur. Reliqui flu. Lutzenburgensem agrum rigantes sunt, Chier, Muese seu Mosa, Bemioj, Houll, Lech, Alsatus, Atardus, Sourus, Prumeus, Mineus, Chomeus, Orto, Albis, ac innumeri penè riuuli. Montibus regio vndique attollitur, syluisque intricatur. Ex omnes Arduennæ totius Galliæ maximæ syluæ rami sunt. Minæras reperias non procul à manderfchet, in dominijs Keyla, Cronenberg & Sleida, in valle cui Helenthal nomen est: quod ferri copiam præbet optimi. Conflantur etiam ibidem ex ferro fornaces & pyreteria, quæ per totam distrahunt Germaniam ingenti lucro.

Thermæ Bertricensis, duobus penè à Mosellæ amnis ripa, milliariibus distant, quamuis hæ Eyfaliæ potius, quàm Lutzenburgij Ducatui adnumerandæ sunt. Terminatur Regio à Septentrione, Leodiensi Episcopatu, ac Namurcensi Comitatu, à Meridie Lotharingia, ab Ortu Mosella fluuio ac Treuerensi Episcopatu, ab Occidente Eyfalia & Arduenna sylua & Mosa flu. Incipit ab Occidente sub longitudine grad. 26. minut. 53. qui est Meridianus vrbs Masieres: desinit autem in Oriente sub longit. graduum 28. minut. 40. quæ Treuiorum est longitudo, à Meridie verò initium sumit sub latitudine grad. 48. minut. 35. vbi est Metensium vrbs. In Septentrione verò desinit sub latitudine grad. 50. minut. 30. vbi Hoy oppidum est, Mosæ ripæ contiguum. Subiacet itaque à principio octauo climatis, quod est per Borysthenis ostia, vsque ad medium eiusdem. Vnde parallellus eius Australis est numero 17. vbi dies artificialis prolixior horarū 16. Septentrionalis verò parallellus est 18. vbi dies naturalis prolixior horarum 16 $\frac{1}{4}$. Longa ergo est regio ab Occidente in Orientem, milliariibus Germanicis 21 $\frac{1}{2}$. seu Ital. 86. lata autem è Meridie in Septentrionem German. 28 $\frac{3}{4}$. vel Ital. 115.

GELDRIAE DVCATVS, TABVLA.

Geldria à Gelre arce seu castro, quod V Vicardus à Ponthe vnà cum fratre Lupuldo ædificasse feruntur, nomen retinuisse dicitur: quamuis complures à Gelduba oppido, cuius frequenter meminit Tacitus, qui illud in Rheni ripa situm affirmat, iam verò nulla sui reliquit vestigia, appellatum credunt: aliam etiam nominis rationem referunt alij, qui narrant tempore Caroli Calui Imperatoris, circa locum eum, in quo est Gelria oppidum, horrendà quandam ac venenosam beluam, ijsque locis ante id tempus nunquam visam, cognitamque, sub arbore esculo delituisse, magnitudinis immensæ, sæuitiæque incomparabilis. hæc agros camposque deuastans, nec pecoribus, nec iumentis parcent: ipsis etiam hominibus, à quibus nō abstinuit, vsque adeo formidabilis, ob inexplebilem voracitatem ac atrocitatem euasit, vt finibus suis cedere complures, seseque solitudinibus abdere coegerit. Duo verò cuiusdam à Ponthe, eius credo de quo paulò antè mentio facta est, filij: partim vt sibi-ipsis, partim etiam vt publico vicinorum commodo prodesse, miris technis audaciæque incredibili beluam aggressi, post dubium, varium certamen ac luctam, tandem superiores belua euasere, eaque interfecta, haud ita procul à Mosâ fluuio, ad Nersæ ripam in memoriam rei, arcem extruxere, cui Gelræ nomen fecere, voce ex continuo ac miserabili, ac identidem repetito mugitu eius beluæ, quem, dum cæderetur, edebat, mutuata. Eius verò habitatores vetusti Sicambri fuere, qui & Franci deinceps dicti sunt: fuerunt hi Istheuorum populi Rheni, vt hodie Gelrenses accolæ, velut ex ipso Plinio notum est, libro Naturalis historię quarto, capite 14. ita referente. Proximi autem Rheno Istheuones, quorum pars Sicambri. Eos autem ijsdem quibus hi Gelrenses sedibus hæsisse, ex Sidonio Poëta, ad Maioranū Cæsare scribente, colligi potest, cum inquit: *Sic ripa duplicis tumore fracto Detonsus Vahalim bibat Sicaber.* Hi bellicosi ac armis mirū in modū addicti erant, paulò ante nostra tempora: hodie humanitatis studia maiore industria sectantur. mercaturæ quoque negotiationique insistent, magna ex parte, reliqui mechanicis partim artibus addicti, partim agriculturæ, ob soli benignitatem inhiantes, vberimos fructus consequuntur. Ducatus est, continetque Culemburgensem, & Burensem Comitatus: Velaniam Insulam, vulgò *de Weluwe*, & Transisalanum tractum, vulgò *dlant van Ouerijssel*, in eoque Comitatum *de Scherenberch & Zutphen*. Huic etiam addunt nonnulli Bergensem Ducatum, de quo & Iuliacensi ac Cleuensi in Rheni tractu, nonnihil refertur. Cum autem ad viginti duas habeat vrbes mœnibus circumdatas, quatuor earum primas obtinent: quarum principalior est Nouiomagus, cuius territorium titulo decoratur regio, sita ad Rheni ostij, cui Vahali nomē est, sinistram ripam, quod ibidem latissimum habet, ac profundissimum al-

ueum, ac eousque velo vtuntur nauigia, quæ ex Hollandia sursum aduerso flumine contendunt, quod si inde ulterius progredi nauigio libuerit, trahantur oportet. Ciuitas est præpotens, fortis, populosa, munitissima, ac opibus abundans, cuius pars inferior flumini imminens Helsingia dicitur, ab Helsingio Batonis filio, qui regis Cattorum filius erat. locus prospectum exhibet amplum, amœnum, tum fluminum, tum oppidorum, pagorumque vicinorum, dignitate fruitur vice comitatus, seu Burggrauij, ei; liberum est, quemadmodum reliquis ciuitatibus liberis Imperij, cudere monetam, cum imperio in nulla alia re subiecta sit, quàm vt in eius agnitionis testimonium quotannis modicum quid tributi mittat Aquisgranum, quod est, chirotheca puluere bombardico impleta. Ei subsunt Tiel & Bommel, cum binis cognominibus sibi Insulis *Thiel & Bommel*. Altera earum est Rueremunda, ad Ruræ fluuij ostium sita, vbi Mosæ miscetur. Ciuitas habitatore frequens, situ, natura, arteque munita. Tertia est Zutphannium à paludibus sic dictum, quas *Wensy* inferiorum Germanorum vulgus appellant, ad dextram Issulæ fluuij (qui Rheni etiam ostium est, Plinio & Melæ Fleuum dicitur) ripam, eam Berckel fluuius perfluit, qui ibidem Issulæ miscetur. Dignitatem habet Comitatus: huic etiam annumeratur Comitatus de Scherenberch. Quarta est Arnem seu Arnhemium Aquilina, Tacito Arenacum, in dextri Rheni ostij, dextra ripa, medium milliare ab eo loco, vbi altera fit Rheni sectio, cuius dextrum brachiū Issula ac ibidem fossa Drusiana dici incipit, Asciburgium. i. Dousburgum vsque. Issulæ verò nomen ei ostio manet, vsque dum mari Australi vulgò *Sudersee* excipiatur. Vrbs est florens vtcumque, ac primaria Velauniarum insulæ, quæ & Vcenauiæ. i. paludum Insula, vulgò *de Weluwe* appellatur. Inferior Insulæ pars Hollandia nuncupatur, & Ultraiectensis tractus, *dat Bisdoy ende stift Utrecht*, circa Batauodurū. i. *Doijck te Ouerstedey*, vbi Rheni medius alueus nomē mutat in Leccam. Est autem eius insulæ territorium paludosum, ac vliginosum, syluisque consitum, vtpote *Schen-waldt*, quæ ferinarum affatim præbent venatum, eius latera clauduntur ab Ortu Issulæ, à Septentrione eo mari quod *Sudersee*, vocant, ab Occidente Vecht flu. à Meridie Rheno seu Lecco fluuio, vnde abundè piscium ipsis supeditatur. Burenensis Comitatus, nec territorio, nec iuretenus Geldriæ ascribitur, verum sui iuris dicitur, in confinibus tamen Geldriæ est ad Lingæ fluuij dextram ripam situs. Culemburgensis Comitatus iuris Geldrici est. Verum extra eius territorium ad Rheni seu Lecci ripam sinistram situs. Transisalana, vulgò *dlant van Ouerijssel*, (vnde enim trans est) dicitur regio Geldriæ, versus Septentrionem opposita: ipsa ad Septentrionem Frisiam Occidentalem, ad Ortum VVestphaliæ, ad Occasum Issulam fluuium, & sinum maris, quem *Sudersee* dicunt, habes.

GELDRIA.

En tibi, amice Lector, nobilis ille clarusq; Ducatus Geldriae, cum omnibus eius limitibus, multis nauigeris fluminibus abunde insignis, agrorumq; fertilitate diues, praesertim apud Batavos, quorum crebra sit mentio apud veteres, cum ob miram glebae ubertatem, tum ob gentis celebratissimam in armis dexteritatem, iam recens ad exemplar eius descriptionis, quae pridem excusa est Roma per Mich: Framcesini casu tignatio.


Excudebat Antuerpiae Gerardus de Iode, Nouomagensis.

DUCAT. BRABAN-
TIAE PARS.

LEODI-
ENSIS
PROVI.
PARS.

DUCAT. KUCHEVEN.
IULIAE
PARS.

Ne mireris, Lector, hanc minorem Geldriae corographiam in Poli Arctici altitudine differre maiori. Ratio est haec: quod speremus complures alias Regiones tabulas nos edituros propediem isthac etiam minori forma, si modo ceptis annuat Deus Opt. Max. Vale.



MARIS AUSTRALIS PARS.

TRANSISALANAE
PROVIN.

PARS.

Miliaria Garia minora
Mediocria miliaria quinq; milia pass
Miliaria magna passus quinq; pedes Contine

Ioannes a Duester Lucas, a Ductacum Iccurunt.